

omnes fuerit ordinatum et deliberatum ibidem concorditer, per comunia dicte lige debeat executioni mandari.

(5) Et quod ambaxiatores et syndici cum sufficienti mandato dictarum quattuor comunitatum, videlicet Bon(onie), Florentie, Sen(arum) et Perusii, et aliorum comunium ad dictam taliam conferentium per quattuor menses ante finem dicte talie conveniant et convenire debeant simul in loco per dominum legatum Lombardie vel per dicta comunia ordinando ad requisitionem ipsius domini legati Lombardie vel alterius dictorum comunium. Qui ambaxiatores et syndici provideant et providere teneantur et debeant super prorogatione, confirmatione, augmentatione et corroboratione dicte lige et talie quinque milium militum et generaliter super omnibus, que ad statum prosperum sancte matris ecclesie, regie maiestatis prefate, partis Guelforum Ytalie et dictorum comunium et amicorum suorum pro futuro tempore congnoverint expedire. Et quod quicquid per ambaxiatores et syndicos omnium dictorum comunium dictarum quattuor civitatum, scilicet^a Bononie, Florentie, Senarum et Perusii, factum fuerit et ordinatum, valeat et teneat et habeat plenum robur et debeat observari. Et quod cetera comunia, que conferent in talia seu ad taliam predictam et se obligabunt ad dictam taliam et contenta in ea, sint et esse intelligantur de dicta liga et gaudeant et habeant et habere intelligantur exnunc omnia et singula comoda et favores dicte talie, quibus gaudent dicta comunia dicte lige, et etiam adstringantur et adstricti intelligantur ad observantiam omnium et singulorum capitulorum et pactorum lige predictae.

(6) Et quod^b cum de mandato et voluntate dicte regie maiestatis comune Senarum et comune Aretii inter se pacem fecerint perpetuo duraturam, ut asseritur per syndicum et ambaxiatores comunis Senarum, et ipsum comune Sen(arum) nemini velit in aliquo fidem fallere, voluerunt de comuni concordia inter se omnes syndici supradicti, quod milites contribuendi et quos contribuere et habere debet comune Senarum in liga talia et sotietate predictis non possint neque debeant ullo modo de comitatu et iurisdictione Senarum vel de aliquibus quibuscunque partibus seu locis cum aliis vel sine aliis militibus dicte talie equitare seu aliquam cavalcata[m] facere supra civitatem vel comitatum seu in comitatu Aretii vel dicte civitati seu comitatui Aretii vel contra dictam civitatem

a) 'silicet' Or.

b) Hiernach dieselbe Hand mit dünnerer Feder.